

02
7.



813
W

1. Coccardi: Henr. Martij Gidonij
inbr Jab Casselsi gesevrais.
Quinteln 1662.
2. Flaccij: Matth. Jllij tract. de
Augustini et Manichaeorum
sententia, in controversia
peccati, 1572.
3. Flemming, Paulij Davids
Bisopalme, 1635
4. Gadioci Petri purgatorium
Leipzig 1603.
5. Heerbrandi, Jac. apologia,
Tubinge 1581.



6. Heibronner s. philof. der
 Königl. yabf. Läuinger 1600.
7. Heinfij. Dav. Colyofaan
 Jofu. Helwst. 1637.
8. Herhuftij. Telen Epistole
 de exorcismo, Halle 1590.
- 9(a) Huber s. fam. s. B. Pändmüt
 von der yuaden wrafl.
 wffel 1545.
10. Hunnij / Hgidij / B. Pändmüt
 von der perfon Christi.
 Wittenb. 1608.
11. Mufel ^{sim} bedum der ob yuffe
 vum der notijij Jeyr
 zuo folij Bt. 1650.
12. repetitio sententiarum
 de peccato originali
 Jend 1573.
- 9(b) 13. Wittenberger theolozen
 vum der wrafl. vum
 Jenden B. Pändmüt
 von der yuaden wrafl.
 Wittenb. 1545.



2

DE AVGVSTINI
ET MANICHAEORVM SEN-
TENTIA, IN CONTROVERSIA
PECCATI.

MATT. FLAC. ILLYR.

IUSTITIA Orig. est idem quod imago Dei: quam fuisse essentialem hominis formam, præsertim autem illius gloriosissimi Spiritus VITÆ, diuino ore homini inspirati, inde apparet, quia Deus creans res, primùm herbas & arbores, postea pisces & volucres, tertio omnia terrestria animalia: Semper singulorum formam essentialem nominat, dicens, Fiant secundum speciem suam: nempe tali forma ea fieri debere & facta esse. Quare cum postremo loco post cuncta alia animantia & animalia aggreditur hominis formationem, nõ iam ei aliquam qualemcunq; formam tribuit: Sed, veluti proposita more humanorum artificum Idæa tanti operis fabricandi, indicat hoc omnium nobilissimum animal ita effigian- dum & formandum esse, vt sit creatoris ipsius propria imago ac similitudo. Hoc idem etiam ex consequenti textu aut ab officio hominis rectissimè Augustinus probat ostendens id ipsum fuisse imaginem Dei, quo excelluit simul & rectissimè imperare debuit alijs animalibus & creaturis: id verò pronunciat esse Rationem aut

Mentem illam integram, optimeq;
in initio formatam ac effi-
giam.

Anno M. D. LXXII.

DE A. V. W. ...

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..



DE AVGVSTINI
ET MANICHAEORVM SEN-
TENTIA, IN CONTROVERSA
PECCATI,

MATT. FLAC. ILLYR.



QUICIT quidam magna audacia & importunitate crimen Manichaeismi isti sententiae aut doctrinae, quod imago Satanae aut Originalis iniusticia, sit ipsamet illa nobilissima potentia aut essentia regnans in toto homine: quae quatenus in illa prima ineffabili ruina, aut spiritali Satanae trucidatione horribiliter in pessimam quandam formam naturamq; inuersa est, tota iam aduersus Deum & omnem pietatem furat ac ruat, sicut eam Paulus Rom. 6. 7. & 8. describit.

At ego contra probaui in Cl. 2. 498. in libro Nosce 205. & sequentibus in Demonstrat. 115. & in Confes. 122. non solum meam sententiam longissime à Manichaeo furore discrepare, sed etiam contrariam planè in eum multipliciter incurere.

Cùm igitur ad eam defensionem respondere toties prouocati nequeant, cur non faciunt modum criminandi, & scandala turbasq; hac in parte ciendi?

Verum quò tanto magis ueritas innocentiaq; mea hìc quoq; illustretur, redigam in compendium mearum rationum summam.

Primum sciendum est, Manichaeos affirmasse, esse duos coaeternos Deos, alterum creatorem omnis boni, alterum omnis mali: et illum malum Deum condidisse istud originale malum, quod communiter à Theologis uocatur originale peccatum: quod quidem peccatum mox initio, antequam à malo Deo bonae hominis naturae, tanquam uenenum quoddam, infunderetur & immisceretur, eamq; corrumperet, iam tum fuerit quaedam propria substantia, habens propriam materiam, & per sese

A 2 existens,

existens, tamen illi etiam alia omnia peccata substantias esse no-
uerunt.

Quod quidem clarè Augustinus testatur libr. i. contra Iul. citando
& explicando Basilij sententiam. Hæc enim sunt eius uerba, ibi quippe
agit Basilius, ne peccatum malum substantiale credatur, habens suam
quandam Materiam: Item, peccatum accessit, & principium acces-
sionis non substantiam habuit, sed Voluntatem, Et mox, Natura non
est sic primitus condita, & peccatum principium accessionis habuit non
Substantiam, sed uoluntatem mulieris & uiri, &c. Et mox: Manichæi
duas Naturas unam boni, alteram mali, ex diuersis atque inter se ad-
uersis coæternisq; principijs, uanitate sacrilega nephanda erroris indu-
cunt. Obserua non uult, peccatum ceu substantiam, ut uenenum aut si-
milia infusum esse homini.

Ego contra damno toto pectore & semper damnaui, ut etiam in
Cl. 2. liquido testatus sum, istum Manichæum furorem de duobus crea-
toribus, confitendo semper unicum creatorem rerum omnium, patrem
Domini nostri Iesu Christi, quem cum tota Ecclesia Christiana colo
& inuoco, contra istos ipsos meos calumniatores. Semper etiam nega-
ui, peccatum Orig. quicquam esse aut fuisse extra hominem, & ante-
quam in homine per illam ineffabilem Spiritualem mortem aut Satane
trucidationem excitaretur.

Nunquam etiam tribuit propriam Materiam huic peccato, sed
mox initio in Clau. 2. 482. ita meam sententiam proposui & exposui,
quod loquar de hominis, præsertim autem anime rationalis in suo summo
gradu forma essentiali, quatenus anima fuit antea quidem Deo con-
formis, nunc autem ex optima illi Dei imagine in pessimam conuersa,
est diabolo conformis, eiusq; domicilium.

Quare Augustinus seipsum ac Basilium aliosq; patres exponit,
quod cum uegant peccatum esse substantiam, de tali peccato substan-
tiaq; habente propriam Materiam & per sese existente, antequam in
homine exortum esset, pronunciant. Quò etiam ualdè facit, quod uul-
gò communiterq; plerumq; ita, substantia à rudioribus accipitur, ut si-
mul materiam & formam totumq; compositum complectatur.

Sed in hac theologica tractatione essentia hominis necesse est respi-
cere ipsam formam essentialem, quia Scriptura sacra triplicis imagi-
nis, aut

his, aut etiam hominis, eiusq; duarum transformationum, manente tamen prorsus eodem indiuiduo aut persona, doctrinam uehementer urget ac inculcat. Primum enim dicit fuisse hominem uiuum aut integrum, ita nempe formatum ac effigiatum, ut esset imago Dei: Secundo destructum aut mortuum hominem, ita prorsus ex optima arbore, essentia aut forma in pessimam inuersum, ut sit iam filius aut imago Diaboli uel semen serpentis: Postremo rursus per regenerationem aut nouam creationem, ex tetra Satanae larua, in imaginem Dei transformatum.

Illud quoq; ad cognitionem sententiae Augustini ualde obseruatum necessarium est, ipsum in descriptione Origin peccati nullum omnino uersisse defectum boni, parum uero positionem contrarij mali, eoq; minus in ipsam nouam pessimamq; formam hominis respexisse, quod tamen posituum malum rectissime nunc nostrae Ecclesiae defectui adiungunt.

Præterea Augustinus & alij Patres loquuntur in genere seu abstracto de peccato, per se consideratione sola comprehenso, non uel de solo originali, uel quatenus est in ipso homine considerato, sicut solet fieri in definitionibus & generalibus disputationibus scholarum.

Obseruandum idem est, Augustinus oppugnantem Manichæorum errorem respexisse in ipsorum uerba & sententia, qui contendebant omnia peccata etiam actualia esse substantias. Ideo Augustinus citat Basilium affirmantem ea esse prauam conuersationem. Non ergo mirum est, si dixerit alicubi contra eos peccatum esse non substantiam, sed accidens.

Deniq; & illud expendatur, quod copiose Chemnitius contra Concilium probat, Augustinum non rectè more Scripturae accipere uocem peccati, sed magis perperam more uulgi.

Quare in utroq; termino istius sententiae, Orig. peccatum est essentia, aliud spectauit & de alia re locutus est Augustinus, quam nostrae disputationes. Quod isti non ignorant, eoq; contra conscientiam Augustinum contra nos allegant. Non igitur ille nostram, sed Manichæam, longissimè à nostra differentem, sententiam damnauit. Quanto opere autem ista doctrina à Manichæo furore differat, dixi copiose in prædicto Confess. loco.

Porrò quod Augustinus etiam nobiscum in ista controuersia senserit, ex hisce sequentibus argumentis liquidò patet.

Primum disertissime confitetur & affirmat lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 7. Paulo differenti de originali peccato (de quo omnis ista disceptatio est) istam peccati appellationem ipsammet carnem significare, hæc enim eius sunt uerba, C A R N O concupiscit aduersus Spiritum, in cuius carnis fructibus, & inuidiam commemorat, qua utiq; Cain stimulabatur & accendebatur in fratris exitium. Bene subauditur erit, id est, Ad te enim conuersio eius erit, & tu dominaberis illius. Cum enim commota fuerit PARS ipsa CARNALIS, quam peccatum appellat Apostolus, Rom. 7. ubi dicit: Non ego operor id, sed quod habitat in me peccatum, quam P A R T E M animi etiam Philosophi dicunt esse uitiosam: non quæ mentem debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eamq; ab illicitis operibus ratione cohibere. Cum ergo commota fuerit ad aliquid perperam committendum, si acquiescat & obtemperet dicenti Apostolo, Rom. 6. Ne exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato: Ad mentem domita et uicta conuertitur, ut subdit Ratio domnetur, hoc præcepit Deus.

En clarè audis, Augustino & Paulo Origin. peccatum esse ipsammet carnem hominis, concupiscentem contra spiritum, quæ certè est eius corrupta substantia. Est uerò omnis disceptatio tantum de hoc ipso peccato, an hoc sit essentia, non de alijs: cum Manichæi contenderent peccatum in genere esse substantiam, habereq; propriam materiam, non istam hominis, in qua hæc forma praua existit.

Secundò Augustinus aliq; Patres omnino passim ita accusant ipsam hominis naturam, ut etiamsi eam nõ expressè nominent peccatum, ne ullam speciem consensus cum Manichæis tunc grassantibus uel solis uerbis præbeant, (qui dicebant peccatum esse quandam naturam) tamen ipsi ea specifica propria tribuunt, quæ propriè soli Originali peccato conueniunt, cuiusmodi est, quod sit res Deo aduersa simul & exosa: quodq; pugnet ac militet contra legem Dei: quod ob eam Deus irascatur homini, eumq; puniat, & deniq; quod sit fons omnium actualium peccatorum. Vide Augustinum in libro de Ciuitate Dei 22. capit. 22. Vbi sic inquit: De miserijs ac malis, quibus humanum genus merito primæ præuaricationis obnoxium est: & à quibus nemo nisi per Christi gratiam liberatur. Nam quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa uita, si uita dicenda est, tot

est, tot & tantis malis plena testatur. Quid enim aliud indicat horrenda
et quædam profunditas ignorantie, ex qua omnis error existit, qui
omnes filios & tam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illis libe-
rari sine labore, dolore, timore non possit?

Quid amor ipse tot rerum uanarum atque noxiarum, & ex hoc
mordaces curæ, perturbationes, moderiores, formidines, insana gaudia,
discordie, lites, bella, insidie, iracundie, inimicitie, fallacie, adula-
tio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidia, ho-
micidia, parricidia, crudelitas, seuitia, nequitia, luxuria, petulantia,
impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra
naturam utriusque sexus, tot stupra, atque immundicie, quas turpe est
etiam dicere, sacrilegia, hereses, blasphemie, periuria, oppressiones in-
nocentium, calumnie, circumuentiones, prauaricationes, falsa testi-
monia, iniqua iudicia, uiolentia, latrocinia, & quicquid talium malo-
rum in mentem non uenit, & tamen de uita hominum non recedit? Ve-
rum hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris & peruersi amo-
ris radice uenientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis
ignorat, cum quanta ignorantia ueritatis, quæ etiam in infantibus ma-
nifesta est, & cum quanta abundantia uanæ cupiditatis, quæ in pueris
incipit apparere, homo ueniat in hanc uitam, ita ut si dimittatur uiue-
re ut uelit, & facere quicquid uelit, in hæc facinora & flagitia, quæ
commemoravi, & quæ commemorare non potui uel cuncta, uel multa
perueniat? Sed diuina gubernatione non omnimodo deserente damna-
tos, & Deo non continente in ira sua miserationes suas, in ipsis sensibus
generis humani, prohibitio & eruditio contra istas, cum quibus nasci-
mur, tenebras uigilant, et contra hos impetus opponuntur, plenæ tamen
etiam laborum & dolorum. Quid enim sibi uolunt multimodæ formidines,
quæ cohibendis paruulorum uanitatibus adhibentur? Quid Pædagogi,
quid Magistri, quid ferula, quid lora, quid uirgæ, quid disciplina illa,
quæ Scriptura sancta dicit, dilecti filij latera esse tundenda, ne crescat
indomitus, domarique iam durus aut uix possit, aut fortasse nec possit?
Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & praua
cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc seculo uiuimus? Quid est
enim, quod cum labore meminimus, sine labore obliuiscimur: cum labore
discimus, sine labore nescimus, cum labore strenui, sine labore inertes su-
mus? Non

naus? Nonne hinc apparet, in quid uelut pondere suo procliuis & pronas
sit uiciosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat?

Sic uiues) super hæc Augustini uerba inquit: Si homo dimittatur
uiuere, ut uelit, Nulla esset effrenior fera aut immanior homine, si e-
ducatiō & disciplina non succurreret: si sibi ipse relinqueretur, tota ra-
tionis uis ad explendas animi cupiditates conuerteretur: nec esset etiam
insipientior bestia, nec animal magis brutum.

Similis locus de pessima natura hominis habetur etiam in Epistola
Augustini C VI. cum inquit: Quid enim uberius & ueracissima con-
fessione plenius, quam illud est, in quadam Epistola tua, ubi, naturam
nostram non mansisse, ut condita est, sed uitiatam esse per illum gene-
ris humani patrem, humiliter deplorasti dicens: Pauper ego & dolens,
qui adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, & plus de primo,
quam de secundo Adam-carnis sensibus & terrenis actibus refero: quo-
modo tibi audebo me pingere, cum cœlestis imaginis inficiator pro-
ber corruptione terrena? Verinq; me concludit pudor. Erubescio pingere
quod sum, nō audeo pingere, quod nō sum: odi quod sum, et non sum quod
amo. Sed quid misero mihi proderit odisse iniquitatem, & amare uir-
tutem, cum id potius agam, quod odi, nec elaborarem piger id potius age-
re, quod amo: ipse discors & intestino bello distrahor, dum spiritus ad-
uersus carnem, caro aduersus spiritum dimicat, & lex corporis, lege pec-
cati, legem mentis impugnat? Infœlix ego, qui in me uenenatum inimi-
cæ arboris gustum, nec dum crucis ligno digessi. Durat enim mihi illud
per Adam uirus paternum, quo uniuersitatem generis sui pater præua-
ricatus infecit. Et cætera quæ de hac miseria multa connectis, ingemi-
scendo expectans redemptionem corporis sui, & nondum re, sed spe sal-
uum te esse cognoscens. En audis, naturam ipsam hominis esse prauam!

Ex libr. 4. Augustini contra Iulianum Pelagianum: Videntur
autem non frustra Christianæ fidei propinquasse, qui uitam istam, fal-
laciæ miseriæq; plenissimam, non opmati sunt nisi diuino iudicio conti-
gisse, tribuentes utiq; iustitiam conditori, à quo factus est & admini-
stratur hic mundus. Quanto ergò te melius ueritatîq; uicinius de homi-
num generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hor-
tensij dialogi, uelut ipsa rerum euidencia ductus compulsusq; commemo-
rat? Nam cum multa quæ uidemus & gemimus, de hominum uanitate
ac infœ-

de infœlicitate dixisset, ex quibus humana, inquit, uita erroribus & arumnis fit, ut interdum ueteres illi, siue uates, siue in sacris initijsq; tradendis diuinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in uita superiore, poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid uidisse uideantur, uerumq; sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos qui quondam, quum in praedonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora uiua cum mortuis, aduersa aduersis accommodata, quam aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut uiuos cum mortuis esse coniunctos. Nonne qui ista senserunt multo quam tu melius, graue iugum super filios Adam & Dei potentiam iustitiamq; uiderunt, etiam si gratiam, quæ per mediatorem liberandis hominibus concessa est, non uiderunt?

Memorabilis est & illa Augustini de corrupta natura sententia, cum libro contra Iul. 4. cap. 12. scribit Ciceronem libr. Politicorum 3. scripsisse hominem non ut à matre, sed ut à Nouerca natura editum in uitam, corpore & nudo, & fragili & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset, tanquam obrutus, quidam diuinus ignis ingenij & mentis. Addit Augustinus Ciceronem non dixisse, hæc malè uiuentium moribus effecta esse: sed naturam potius accusasse: rem illum uidisse, causam nesciuisse. Latuisse enim cur esset graue iugum super filios Adæ, à die exitus de uentre matris eorum, usque in diem sepulture in matrem omnium: quia sacris literis non eruditus, ignorabat Originale peccatum. Hæc ille.

En audis ipsammet naturam hominis, amissa imagine Dei, non mansisse, ut est condita, eamq; esse fontem omnium malorum. Talia sunt etiam alia plurima eiusdem loca. Eodem quoque facit, quod nostrum liberum Arbitrium, quo etiam ipsam nostram naturam & rationem notat, dicit ad eò immutatum inuersumq; esse, ut iam ualeat tantum ad peccandum, & sit pro libero factum seruum. Sic idem affirmat, hominem de suo esse Satanam? quo quid potest dici grauius? Tract. 49. super Io.

Sic & carnem passim eisdem proprietatibus orig. peccati depingit, inter alia inquit, Caro est, quæ diabolum recipit: carnem habet

B

Diabo-

Diabolus in potestate, &c. Et, Caro est misera bestia, quæ grauat animam, &c. Item, Caro nostra in malicia semper uult esse potens, in abstinentia autem & bono infirma, &c. Item, ô Caro bestia crudelis, quid habes, quod grauas animam, &c.

Atque in hoc genere tractationis diligenter obseruandum est, quod omnes patres & omnes scriptores, etiam recentiores, plurimum ita de Origin. peccato differunt, ut ista uerissima propria peccati Original. Nature, Carni, Veteri homini & cordi tribuant.

Neque in eo situm aliquid est, quod eam essentiam non mox expresse nominant peccatum. Cause enim illæ fuerunt potissimum, ne uulgam speciem consensus, ut etiam in solis uocibus, cum Manichæis exhiberent imperitis: præterea quod uoce Peccati non ita latè uereq; usi sunt, ut scriptura, de omni re legi Dei inconformi: sed ut uulgus & philosophi, qui tantum praua facta, motus animi, & uitia pro peccatis habuerunt, & ea uoce notarunt: Sed quod Augustinus etiam expresse dicat cum Paulo, Originale peccatum esse ipsammet carnem, supra clarè audiuius.

Tertiò Philippus taxat Augustinum, quod in illo longo opere contra Iuliam, urgentem naturam & uim concupiscentem non posse esse peccatum, cum gignat hominem, non satis acutè distinxerit ataxiam concupiscentiæ, ab ipsa concupiscentia nature. Verum Augustinus respexit in tria grauissima obstacula istius elusionis: quorum primum est, quod Lex Dei & Apostolus non ataxiam in abstracto: sed simpliciter ipsam totam concupiscentiam habet pro peccato et prohibet. Non enim dicitur, Ne inordinatè concupieris, sed simpliciter, Ne concupiscas. Secundum obstaculum fuit, quod tunc, sicut & postea, usitatum fuit definire peccatum Origin. esse concupiscentiam: Non autem tam subtiliter distinguere, dicendo esse tantum ataxiam concupiscentiæ: Sicut etiam postea de uoce concupiscentiæ dicitur.

Tertium impedimentum ei fuit, quia Augustino tota libido aut res Venerea, atque adedò uis actusq; gignens etiam in coniugio, uisa est esse peccatum, & sanè etiam est ob multiplicem contaminationem & inconformitatem cum lege Dei, sicut & Lutherus super Genes. diserit: nisi quod fidelibus in coniugio condonetur. Quod ipsum etiam Circumcisionem, mutilantem membrum gignens, & immundam simul

qcer

acerbamq; generationem testari non malè idem ratiocinatur. Quis
toties inculcat ipsum semen, conceptionem & embryonem in utero esse
peccatum, præsertim autem Psal. 51. & in festo Circumcis.

Quartò non ita multum hinc recedit, quod Augustinus disputat de
hominis massa perditionis. Sanè omnes sumus una massa peccati & per-
ditionis: quia ipsa natura sumus filij iræ, dum ipsamet Natura sua
prava corruptissimaq; specie aut larua Satanae iram Dei prouocat, non
tantum actualibus peccatis.

Quintò Augustinus sæpius definit, Origin. peccatum esse concu-
piscenciam, nempe ipsam uim potentiamq; prauè concupiscenciam, non
eius motus. Quid autem tandem aliud est potentia prauè concupiscens,
quam ipsamet nostra peruersissima natura? Sic sanè istam Augustini
concupiscenciam de ipsamet prava Natura, etiam ipsa Apologia inter-
pretatur hisce uerbis quæ sequuntur.

Eadem est sententia definitionis, quæ extat apud Augustinum,
qui solet definire peccatum orig. concupiscenciam esse. Significat enim
concupiscenciam successisse amissa iustitia. Nam ægra Natura, quia
non potest Deum timere & diligere, Deo credere, querit et amat car-
nalia: iudicium Dei, aut secura contemnit, aut odit perterrefacta.

Et paulò post: Nos igitur rectè expressimus utrunq; in descrip-
tione peccati Orig. uidelicet, defectus illos, non posse Deo credere, non
posse Deum timere ac diligere. Item habere concupiscenciam, QVÆ
carnalia querit contra uerbum Dei, hoc est, querit non solum uolupta-
tes corporis, sed etiam sapientiam & iusticiam carnalem, & confidit
his bonis, contemnens Deum.

En clarè audis concupiscenciam, loco generis peccato attributam,
esse ipsamet ægram naturã, idq; nobilissimam totius hominis, ut pote
quæ non tantũ carnales uoluptates, sed etiam sapientiam ac iusticiam
carnalem querat, & Deum eiusq; iusticiam contemnat. Eodem facit,
quod Apologia definitionem Origin. iusticie & iniusticie de ipsismet
internis anime potentijs intelligi uelit, excusans et declarans definitio-
nem Orig. peccati, in Confessione positam, contra Papistarum cauila-
tiones, Qui dicebant eam planè de actualibus peccatis, non autem de
Orig. loqui.

Consideretur etiam Augustinum clarè uisisse peccatum Origina-
B 2 esse de-

esse defectum aut mutilationem ipsius essentiae, sicut etiam Heshusius dicit *Analys.* 13. Iam autem pone in aliqua essentia defectum boni essentialis, & adde positionem mali essentialis, an non plene noua forma constituetur? Necessario autem Apologia & nostrae Ecclesiae priuationi bonarum uirium positionem malarum adiungunt, nempe, per transformationem aut horrendam mortem naturae effectam.

Sexto cum toties contendat Augustinus, mala, id est, peccata oriri per commutationem ex bonis Dei creaturis aut naturis, quia Deus creaturas condiderit mutabiles, necessario certè sequetur, illam naturam aut creaturam, ex bono commutatam in malum, seu in peccatum, tam esse postea essentiam, quam fuit prius: neque essentiae in commutatione possunt conuerti in accidentia, aut contra.

Quin etiam contendit Augustinus, rursus ex malis per transformationem fieri bona. Malum autem ei omnino in talibus locis significat ipsum peccatum, sicut & mei Antagonistae in eam sententiam citant dicta eius patris. Inquit enim, lib. contra Iulian. Quod aduersus Manichaeos utique sufficit, qui putant esse impossibile, mutari in bonum naturam Mali. Obserua Naturam Mali posse à Deo mutari in bonum, nempe per illam omnipotentem regenerationem et transformationem.

Ex hisce liquidò patet. B. Augustinum aliosq; patres non tantum non esse contra nostram sententiam, sed etiam eam multipliciter tueri & confirmare.

Quod autem insuper contraria sententia sit planè Manichæa, aut certè multipliciter in manichæismū incurrat, abundè in modò indicatis libris ac locis est demonstratum. Quas tractationes isti suo silentio confirmant, dum quod respondeant, non habent.

Repetam nihilominus inde aliquot probationes. Primum uolunt isti, Orig. istud malum esse rem quampiam potentiamq; prorsus à solo Satana effectam, ita ut, quacumq; demum ratione eam consideres, non possis dicere, eam etiam à Deo esse. Cum uerò sit maxima quaedam uis potentiaq;, ut quae potentièssimè simul & aptièssimè malitiosissimeq; supra totum hominem, seu potius supra totum genus humanum perpetuò durans regnet, necesse sanè est eius istum tantum effectorem, qui eam solus sua sapientia & potentia (ut isti uolunt) effecit, esse quendam conditionem. Cui enim prorsus soli tantū opus aut effectum, perpetuò durans & regnans,

regnans, naturæq; hominum toti congenitū tribuas, ei sanè frustra con-
ditoris nomen adimere conaberis.

Eodem facit, quod ipsi negant, istam eandem regnantem uim po-
tentiamue, aut reginam totius hominis uel propagari, uel conseruari à
Deo, tanquam prima causa. Restat ergò ut à Diabolo, sicut primum se-
cundum istos condita est, ita nunc quoque in utero matrum propage-
tur, et porro in singulis hominibus conseruetur: Neq; enim secundæ cau-
sæ, cuiuscunque demum generis sunt, possunt sine prima uel consistere
uel agere. In illa prima omnia alia sunt, existunt & mouentur, Actor.
17. Coloss. j.

Non etiam eos excusat, quo minus cogantur statuere Satanam
authorem & effectorem istius tam potentis reginæ hominis, quod cla-
mant, esse accidens, necessariò nempe intelligens congenitam qualita-
tem: Nam talia accidentia non minus sunt creaturæ, quam substantiæ:

Secundò Augustinus sæpius simul ac uehementissimè contendit,
non nisi ex bonis naturis mala oriri: quod quidem ille adeò urget, ut ne-
get sine hoc fundamento Manichæis resisti posse. At isti nullomodo uo-
lunt, Origin. peccatum per inuersionem aut transformationem primi
hominis esse effectum: Nequaquam etiam concedunt opera aut creatu-
ras Dei fieri ullo modo posse peccata: sed distinguenda esse omnibus mo-
dis bonam Dei creaturam, ab opere aut re effecta à Satana: alioqui si
dicetur, Dei opus aut creaturam esse effectam peccatum, omnino secu-
turum, ut Deus sit author peccati.

Ceterum quò tantò certius appareat, quanto opere istam sententiam
Augustinus damnet, uerba eius quedam adscribam. Sic autem inquit:

Laborat Manichæus, ut ostendat ex bono Dei opere Malum oriri
non posse: ut (quod ipse uult) malum nisi ex malo oriri non posse creda-
tur. Et, Manichæus, quem uerbis istis tuis sic adiuuas, ut nihil magis
optet audire, quàm mala ex bonis esse non posse. Hoc enim accepto
infert, & dicit tibi, Si malum ex bono esse non potest, unde erit nisi ex
malo? Item, Si autem dixerimus non oriri mala, nisi ex malis, Mani-
chæa pestilentia triumphat: Deniq; concludit inquit, Ita hunc fidei
aduersarium dici non potest, quantum adiuuet, qui mala ex bonis oriri
negat. Talia dicta sunt planè innumera in Augustino.

Tertio isti uehementissimè negant & pernegant, posse bonas Dei

creaturas essentialiter commutari in malum, uociferantes Diabolum non posse nouas essentiales formas creare & hominibus infundere: At Augustinus contra acerrimè contendit, creaturas esse conditas commutabiles, easq; sic corrumpendo in malum mutari & transformari.

Toties istis est uiua experientia monstratum, multas artes mutare formas essentiales rerum: præterea nihil esse facilius, quam bonam Dei creaturam destruendo, ei pro bona forma aut essentia dare malam aut etiam pessimam. Sed non habent aures ad audiendum.

Quartò Manichæi, teste Augustino, docebant, bonam istam hominis Naturam, non inuersione aut transformatione in malum, sed infusione mali à malo genio effecti, eiusq; permixtione & participatione, malam esse effectam.

Verba Augustini lib. 1. contra Iulian. inter alia hæc sunt: Natura hominis maliciam capit, non participatione mali, sed priuatione boni, id est, non Commiscetur alijs Naturæ, quæ aliquod malum est: quia nulla natura, in quantum natura malum est: sed quia deficit à natura, quæ summum & incommutabile bonum est. Propterea, quia non de illa, sed de nihilo facta est. Alioqui nec malam uoluntatem habere posset, nisi mutabilis esset. Hactenus Augustinus.

Sic & isti nusquam non inculcant, quomodo Origin. istud malum ab extra infusum sese immiscuerit & insinuauerit in hominem, ita ut etiam minutissimas particulas et guttas sanguinis peruasit, penetrauerit, suaq; sceditate contaminauerit & infecerit conspurcaueritq;.

Quintò isti uehementissimè contendunt, Originale malum esse quiddam separabile, re simul ipsa & etiã cogitatione, ab ista ipsa presenti praua essentiali forma corrupti hominis. Sic & Manichæi dixerunt, quod sit res planè diuersa ab hac presenti natura, eoq; ab ea omnino separabilis.

Sextò contenderunt Manichæi, Origin. peccatum esse quiddam ab extra adueniens, non autem in ipso Adamo effectum: Item quod sit quiddam destruens & perdens hanc ipsam presentem hominis formam aut existentiam. Sic & ipsi perpetuò contendunt, Orig. peccatum esse quoddam uenenum, toxicum, philerum, stercurus, & similia, quæ sint à Satana infusa in primos parentes, eosq; totos infecerint, contaminauerint & conspurcauerint ac intoxicauerint.

Omnino

Omniñò uidentur isti somnare esse tale quidpiam, ac si quispiam bonum indusum uel uestem, manente prorsus eius essentia, foedissimo luto aut stercore contaminasset conspurcassetq; quo stercore rursus abluto essentia panni esset perinde bona, ut antea fuit. Sic enim & isti uociferantur, essentiam prorsus eandem mansisse integrè, ut primùm condita.

Postremò sicut Manichæi planè ignorarunt illud ineffabile beneficium Regenerationis, uiuificationis, & nouæ creaturæ in Christo, tantumq; egerunt de quadam separatione istius commentitij immixtiq; mali, & de qualicunq; ablutione contaminatæ naturæ: Sic & isti ea, quæ dicuntur de essentia ipsius regeneratione, nouiq; cordis ac hominis creatione, ac omniñò de hominis resuscitatione, extremè extenuant, tantumq; uolunt fieri quandam ablutionem naturæ ab illo ipsorum stercore & toxico, & meram accidentiũ alterationem. Etiam si uerò interdum aliquid grandius dicunt coacti à Scriptura, tamen postea rursus eodem relabuntur, suis sophisticis disputationibus, ueriorisq; sententiæ damnatione,

Hinc liquidò apparet, istorum dogma planè multipliciter in sese Manichæismum continere, quantumuis audacissimè eum mihi obijciunt. Iam uerò etiam de istis testimonijs Augustini, ab Heshus. citatis, breuissimè dicam: tametsi satis de eis dictum sit, cum in præcedentibus ostensum, eum planè de alia re loqui in istis ipsis dictis, quam de qua ego agam: cumq; neque subiectum istius sententiæ, nempe peccatum, more scripturæ accipiat, pro omni re legi Dei inconformi, cuiusmodi est tota hæc Natura essentiaq; hominis: neque etiam predicatum, hoc est, Essentiam, sicut supra est copiosius ostensum.

Primùm autem iste citat dictum Pelagiani cuiusdam, & dicit Augustinum simpliciter probasse id ipsum dictum: Num igitur Augustinus sensit, peccatum non esse rem quampiam, aut existentiam aliquam sicut Pelagianus ibi expressè blaterat? Num igitur negauit omnia uitia, prauos habitus & prauas naturæ inclinationes esse peccata? Hoc sanè nunquam Augustinus negauit. Alioqui pleraq; peccata ex Catalogo peccatorum deleuisset.

Deinde cum in illo ipso Pelagiani dicto ita ponatur, sed peccati nomine perperam facti actus exprimitur, manifestissimum est hic agi

de

de actuali, non de originali peccato: Quid igitur imponis simplicibus, lectoribus dicta de actualibus peccatis agentia ad Origina. peccatum trahens? Aut vis persuadere Augustinum tantum perperam factorum actus pro peccato habuisse.

Est præterea hic non obscurum crimen falsi, cum ita citat dictum Augustini. An omninò substantia carens nomine: Meum enim Venentum exemplar habet, An omninò substantia carens nomen. Fieri autem potest, quod legendum planè sit, An omninò substantia carens nomine: quo qui dem textu uera sententia confirmare: ur.

Sic mox citat alium locum, qui ita inchoatur, peccata quippe, à quibus dicit, Euangelium saluum faciendum populum Christi, Substantia non sunt, &c. Vbi ibidem manifestè de actualibus peccatis agitur, ut expressè hoc ipsum principium testatur: Vbi simul obserua, Manichæos etiam actualia peccata uoluisse esse substantias. Cur ergo iterum illud ita pusillis Christi suis istis imposturis?

Sic etiam in fine A. 6. est, quod in renatis non maneat sic peccatum, tanquam proprium corpus: & mox, quod non creauerit Satan aliquid in homine. Quorum neutrum nos dicimus, sed ipsi potius, qui dicunt, peccatum Originale esse aliquod proprium opus Satanae, ab eo in hominem infusum, nempe uenenum, toxicum, philtum & stercus, quod cum infecerit ac contaminauerit.

Uterius citat quædam dicta, quod ista corruptio non sit ipsa natura: intelligit autem per naturam ipsam totam substantiam completendo materiam cum forma totumq; hominem: de quo nos nequaquam affirmamus, sed dicimus istam iam effectam & propagatam in uetere homine corruptionem significare propriè ipsam corruptam pessimam anime formam, quæ uocatur imago Diaboli.

Citat item quædam testimonia affirmantia, omnem naturam, quatenus natura est, esse bonam. Loquitur autem Augustinus de inferiore quodam gradu boni, non de eo, quod est conformitas cum lege Dei, quod quæ opponitur peccato aut iusticiæ, sicut & Lutherus sæpe monet, in ista ipsa questione distinguenda esse bonorum genera.

Primò initio B. citat quinque sententias ex libro Augustini contra Secundum Manichæum, ubi habetur, Quod Malum sit consensio quædam, inclinatio & defectus à maiore bono ad minus, non autem quædam substantia

substantia, ut Manichæus uolebat. Legat autem Christianus lector totum eum textum, reperiet manifestissimè ibi agi de malo actuali, quia Manichæi contendebant simpliciter omne peccatum esse substantiam, habentem propriam materiam. Ut prorsus contra conscientiam imponat iste homo lectoribus, citando dicta nihil penitus ad rem facientia, tanquam extremè nos horribilium errorum conuincantia.

Sic & sequentia dicta ab eodem citata agunt de actualibus peccatis: nam primum ex primo contra Iul. ita incipit, Quæ MALA licet non intelligamus esse naturas, sed Vitia naturarum, tamen simul intelligimus ea nisi EX aliquibus & in aliquibus Naturis esse non posse, &c. En manifestè cernis, quod agat de pluribus Malis, eoque actualibus, non de uno originali: quare disertè dicit, se agere de uitijs orientibus ex natura, quæ sunt manifestè actualia peccata, non ipsum originale, testantibus id etiam Schmalkaldicis articulis. Sic etiam sequens dictum ostendit se agere de Vitijs substantiarum. Vitia uerò non ipsum Orig. peccatum, sed eius fructus sunt.

Eodem modo & ultima tres sententia, citata ex Psalmo 68. agunt de actualibus peccatis. Nam prima ostendit se agere de ea iniquitate, quam peruersitas uoluntatis foras effundat. Sic & sequens dictum ostendit se de ea iniquitate pronuciare, Quam facit homo: hæc enim ipsa sunt ipsius dicti uerba. Ergo agit de actuali peccato.

Deniq; ultima sententia ita habet, Vitia enim ex nobis & nostra Voluntate habemus, & uitia non sunt substantiæ. En clarissimè audis, Augustinum pronuciare de pluribus Vitijs ex originali malo scaturientibus, nõ autem de ipso fonte omnis mali. Num enim Orig. peccatum sunt ipsa omnia uitia, aut num Origin. peccatum ex nostra Voluntate habemus, aut potius natiuitate propagatur inde ab ipsis parentibus, sine omni nostra uoluntate uel consilio?

Quare manifestum ac prorsus palpabile est, istum contra propriam conscientiam congerere testimonia patrum, prorsus de alia re, quam de Orig. peccato pronuciantia, atque ita nephariè decipere pueros filios Christi.

In posteriori parte citantur quædam dicta eiusdem sanctissimi patris, quibus conatur aduersarius probare, Orig. peccatum esse accidens, cum ea propriè agant & pronucient de uitio libidinis Veneræ: quare esse

C

esse

quam esse accidens & quidem fructum aut effectum Orig. peccati nemo negat. Quare & ipse Augustinus eam in istis ipsis dictis distinguit ab illo antiquo peccato, id est, ab Originali, tanquam effectum à propria causa.

A' qui obijcit iste, Augustinus interdum dicit, peccatum non fuisse ab æerno, non etiam in ð homini increatum, sed accessisse primis illis parentibus, ergo est accidens. Verum sanè est, id malū eis accessisse: neque tamen iam amplius est accidens, sed homini prob dolor nimium congenitum, connaturale & coessentialiale. Sic etiam mortalitas aut mortalis natura non fuit homini increata, neq; perpetuo in eo permanebit, sed potius contraria essentia, nempe immortalis natura: & tamen postea accidit homini, factaq; est malum generi humano non amplius accidentarium, sed coessentialissimum, sicut & omnibus brutis ac plantis, atq; adeò in uniuersum omnibus physicis corporibus. Obserua diligenter hoc argumentū, Non enim omne quod accessit primis parentibus, quodq; tandem ab homine discedet, accidens est: quo tamen sophismate, isti uehementer nituntur & abutuntur. Natura sumus filij iræ Dei, seu ipsa natura Deo aduersa est, nobisq; iram Dei conciliat, eoque uerè est peccatum.

Sensus carnis est inimicitia aduersus Deum & mors seu mortifer: Quicquid uerò Deo aduersatur, & homini conciliat apud Deum iram & mortem, est peccatum. Mors enim proprium solius peccati stipendium. Ipse ergo sensus carnis, quod concedentibus id etiam Antagonistis essentia est, peccatum est, nempe non actuale, sed originale.

Lumen quod est in homine teste Christo, sunt iam ueræ tenebræ, Matth. 6. Luc. 11. quod idem est ac peccatum Orig. ex quo opera tenebrarum oriuntur. Hæbus. in seruo arbitrio G. 7. inquit, Probauimus totam Rationem nihil nisi caliginem & tenebras esse. Solent etiam multi scriptores orig. peccatum per internas tenebras definire. Disertè ergo pronunciat Christus, mentem ipsam excoecatam esse Originale peccatum.

Cor est thesaurus, aut sententia copiosissima uel sepulchrum omnis mali, Matth. 12. 15. 23. Marc. 7. Luc. 6. Psal. 5. Rom. 3. Cor aut intimum eorum prauitas, seu malicia, sepulchrum apertum guttur eorum, Psal. 5. Sic et Christus de corde pronunciat, Quod est altū aut sublime in homine,

In homine, est abominatio coram Deo. Abominatio est maius quam peccatum: dicitur enim tantum de summis peccatis, ut est idolatria. Omnis homo est omnis uanitas, & ipsi uanitate uanior, Psal. 39. & 62. Vanitas Habel idem est quod peccatum. Ideo id nomen Heua experientia a secundo filio imposuit. Praclare sanè Luth. Psalm. 5. de homine pronunciat inquit: Atque ut sumus homines, non nisi peccatum, mendacium, uanitatem operantes, Nomen putridum & foedum habeamus, ut sit omnis homo mendax, Et uniuersa uanitas omnis homo uiuens, Quare nomen nostrum est peccatum, mendacium, uanitas, iniusticia, malitia, peruersitas, & quicquid malè dici de quopiam potest. Hec cum agnoscimus & confitemur, rectè agimus.

Huc faciunt illæ innumerae Spiritus S. accusationes cordis distortissimi, adamantini & pessimi, ac mentis prauæ coecæq; , tanquam mali Deo aduersissimi & odiosissimi, totius denique arboris aut uitis, quæ ex optima natura indoleq; in pessimam, & ex argento in scoriam foedissimam inuersa est.

Quid igitur gloriatur homo, cuius conceptio culpa, nasci peena, labor uita, necesse mori? Cui uetutissimo carmini correspondent illa recentiora etiam ab antagonistis publicè comprobata, Ante tuos oculos nil nisi culpa sumus: quia Natura ipsa hominem non sinit esse bonum: qui licet furca expellatur, tamen usque recurret, & ad scelus profiliet frenis Natura remotis.

Illa igitur ipsa primaria uis aut potentia, potentissimè et maliciosissimè regnans in toto homine, est Orig. peccatum. Rom. 5. 6. 7. & 8. illa nempe imago, in qua nos Adam post amissam Dei imaginem per illam horrendam Satanae trucidationem nos genuit, Gen. 3. 5. 1. Cor. 15.

Conterat igitur ille hoc serpentis caput in nobis, crucifigatq; ueterem hominem, & nouum in nobis condant, qui ad hoc ipsum uenit, ut peccata mundi tollat, & opera Diaboli destruat, ob misericordiam & ueritatem suam,

Amen.

F I N I S.

In nomine Domini Amen.
 In hoc libro tractatur de
 rebus divinis.
 Et de sacramentis.
 Et de vitiis.
 Et de virtutibus.
 Et de peccatis.
 Et de poenitentia.
 Et de resurrectione.
 Et de iudicio.
 Et de ultimo.
 Et de fine.
 Amen.

FINIS



155375

AB: 155375

ULB Halle 3
002 626 284





Sb.

R

Vom. 145:







2

DE AVGVSTINI
ET MANICHAEO RVM SEN-
TENTIA, IN CONTROVERSA
PECCATI.

MATT. FLAC. ILLYR.

IUSTITIA Orig. est idem quod imago Dei: quam fuisse essentialem hominis formam, præsertim autem illius gloriosissimi Spiritus VITÆ, diuino ore homini inspirati, inde apparet, quia Deus creans res, primùm herbas & arbores, postea pisces & volucres, tertio omnia terrestria animalia: Semper singulorum formam essentialem nominat, dicens, Fiant secundum speciem suam: nempe tali forma ea fieri debere & facta esse. Quare cùm postremo loco post cuncta alia animantia & animalia aggreditur hominis formationem, nō iam ei aliquam qualemcunq; formam tribuit: Sed, veluti proposita more humanorum artificum Idæa tanti operis fabricandi, indicat hoc omnium nobilissimum animal ita effigian- dum & formandum esse, vt sit creatoris ipsius propria imago ac similitudo. Hoc idem etiam ex consequenti textu aut ab officio hominis rectissimè Augustinus probat ostendens id ipsum fuisse imaginem Dei, quo excelluit simul & rectissimè imperare debuit alijs animalibus & creaturis: id verò pronunciat esse Rationem aut
Mentem illam integram, optimeq;
initio formatam ac effi-
giam.

Anno M. D. LXXII.